


bus, & exhalationibus tetrīs obscurat, Ita pariter virtutem, salutaria remedia, scientias, artes, bellorum turbinibus dissipari, peste dejici, discordia obscurari permittit; virtutes quoque negligentia obrui. Postremo veritas ipsa diū latere non potest, & à profundo Democritis puteo eruitur. De his hucusque satis.



*QUO ANNI TEMPORE*  
*Venanda, & quam diū retinenda sint*  
*Vipera cum pro antidotis, tum*  
*pro cibis.*

## CAP. XIII.



Vipera vere & autumno, bis scilicet in anno, senectam exuit. Testis est Aristoteles lib. 8. cap. 17. de animalium historia. Excoriari autem cutis ægrotantibus illis,

lis, qui Viperarum carnibus utuntur, annuatim solet, quas illi ipsi senectam, deponerent, Propterea quod ad cutim caro illa humores depellit per ulcuscula & per sudores. Eo igitur potissimum tempore, quo senectam deponunt, vel paulò antea quàm deposuerint, venandæ sunt; hyeme & extremo autumnò terra teguntur, non saxis, & arborum cavis, ut reliqua serpentum genera. Auctor Plinius lib. 8. cap. 39. qui Aristoteli lib. 10. cap. 62. contradicit, qui sub saxis concedi voluit, & Auctor ad Pisonem cap. 13. Plinio non adhæret, qui sub cavernis & saxis tegi, Aristotele Auctore, sibi persuasit, unde magis pestilentem & noxiam qualitatem retinere voluit. Nos scimus ex rusticorum observatione terra etiam condi, & cum hyeme altius effodiunt, stupidas glomerata terra circum amplecti. Nulli igitur lis adjudicanda erit. Colligendas autem Viperas initio veris libro primo

mo de Antidotis Galenus proficitur & jubet. Aliqui, qui æstate media venantur gravissimo errore implicantur. Neque statim ubi egressæ è terra aut saxis fuerint, eas venari oportet; æstate siquidem earum carnes ingentem sitim excitant, statimque ab egressu frigida & sicca & extenuata inedia sunt. Oportunum itaque tempus est, quod his medium intercidit, quodque Andromachus ipse significavit, eo tempore, quo Libero patri sacra fiunt, vipersas capiamus; Vero quidem finiente, nondum tamen æstate incipiente, vel si ver quo ad magnum sui partem hyemale fuerit, circa principium æstatis non multò post Plejadum, aut Virgillarum ortum, ut Galenus libro de Antidotis ad verbum scribit. Vipersas autem vere jam desinente, æstateque incipiente, aut vindimiæ tempore, Andromachus comprehendere jubet; Vitandam nimirum æstatem totam, excepto principio, usque ad



ad canis ortum, & inde sequens tempus, quod aliquibus *ώπρωαι*. i. mollioris corticis fructus collectio peculiariter dicitur paulo post. Vinde-  
 mia autem tempore, quod autumnus medium est; quærendas & apprehendendas Viperas censet, quod magnæ, corpulentæque sint, aneto imposito elixandæ, deinde carnem ex decem consimilibus Viperis collectam, uni siliginei panis uncia comiscendam, atque ita pastillos Andromachi filius conficiendos suasit. Ex Critone Galenus lib. I. de Antidotis cap. 8. eadem confirmat, & ad Pamphilianum circa finem Auctor, paulò antè captas non diù retentas Viperas pro Theriaca assumit, namque multo tempore retentæ magis sunt venenosæ; Conjicere hoc jejunis hominibus licet. Sic etiam Crito finiente vere vel autumnus, comprehendendas Viperas judicavit, eligendasque eas esse, quæ magno & crasso corpore sunt, anetoque imposito elixandas,

das, carnibus autem ex decem Viperis, majoribus selectis, unam filigine panis unciam ad miscendam fore præcipit, atque ita pastillos Theriacales appellatos conficit. Tempus igitur colligendi statutum sit, & eas occidendi, si Ver fuerit benè constitutum, in iplo Vere, si verò hyemale ver, non multò post Plejadum exortum, qui Sirigato Auctori erat septima Mai ante Kalendarium Gregorianum, de quo tempore Ulysses Aldrovandus nostri sæculi ornamentum exactissimè differuit. Quo igitur tempore venandæ sint Viperæ, & quo tempore occidendæ, ex his quæ allata sunt est manifestum.

T V N C